This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600074705T

600074705T



DE

ZADRIADE,

ARMENIÆ MINORIS REGE PRIMO EJUSQUE DE STIRPE

AD

NUMI INEDITI

ET

SCRIPTORUM ANTIQUORUM FIDEM

EXPOSUIT

GUIDO SANDBERGER,

PHILOL. ET DOCTR. RER. NATURALL. STUDIOSUS, SEMINARII PHILOL. HEIDELB. SODALIS ORDINAR.

FRANCOFURTI A. M.,

IN COMMISSIS JÆGERI.

1840.

221. f. 61.

121. f. 61.

SOLEMNIBUS SÆCULARIBUS

GYMNASII WEILBURGENSIS,

TRECENTIS ABHINC ANNIS CONDITI,

DIE XVI. MENSIS SEPTEMBRIS MDCCCXL

CELEBRANDIS

SACRUM ESSE VULT

GUIDO SANDBERGER.

PRÆFATIO.

„Insolitus ac fere novus" non pauci dicent „nominis sonus est Zadriades; incognitus iste et densa caligine involutus, quem tu Armeniae minoris regem fuisse statuis."

Crassis sane in tenebris ille jacet; neque unquam nomen illius mihi obviam venisset, neque accuratius cognoscendi et investigandi de hoc rege occasio mihi oblata fuisset, qua ex oblivione eum eruere et in lucem proferre equidem conarer, nisi extrinsecus causa venisset, allato numo hujus regis rarissimo, adhuc ignoto et inedito, qui jam viginti fere annis ante inventus, duobus abhinc annis in collectionem patris dilectissimi *Jo. Ph. Sandbergeri*, professoris Weilburgensis, illatus, huic numothecae jam maximo est ornamento. Unde factum, ut accuratius regis vitam, aetatem, regnum, aequales, stirpem equidem cognoscere studerem quumque vidissem ea, quae a recentioris aetatis scri-

ptoribus de hoc rege ejusque de stirpe proferuntur*), pleraque dubia esse et minus certa, alia quoque cum rerum veritate non plane convenientia, alia fabulis mixta et ambigua, ea, quae antiqui scriptores certa de ipso rege ejusque de stirpe praebent, in unum congerenda et ad ordinem disponenda et explicanda esse ratus, conatus sum equidem, quoad pro parvis meis, quas adolescenti dedit natura, viribus licuit, conscribere, digerere, illustrare, quae tam numi quam scriptorum antiquorum ex fide Armeniae minoris historiae, adhuc

---

*) Tractaverunt hanc rem plurimi viri docti ad solos scriptores Graecos ideoque perbreviter tractaverunt et nonnulla cum iis commiserunt vitia.

Cf. *Freinshemium* in supplem. in Livium. XLVII, 15. — *Fréret*, de l'année Arménienne in: Mémoires de l'acad. des inscriptions et belles lettres. Tom. XIX. (Paris 1753) p. 96 sq. — *W. Guthrie, Joh. Gray* u. A. Allgem. Weltgeschichte. Aus dem Englischen übers., aus den Originalschriftstellern berichtigt und mit einer fortlaufenden Zeitrechnung und verschiedenen Anmerkungen versehen von Chr. Gottl. Heyne. Part. III. p. 1069 — 1071 et p. 1088. — *J. Chr. Gatterer's* Versuch einer allg. Weltgesch. p. 238 sq. — *A. H. L. Heeren's* Handbuch der Geschichte der Staaten des Alterthums p. 355 edition. IV. — Vide etiam *Vaillant*, Arsacidarum imperium p. 28. 65 sq. 398. — *Saint-Martin*: Mémoires sur l'Arménie Tom. I. p. 287. — L'art de vérifier ses dates. Section. I. (Paris 1819) Tom. II. p. 435. —

Ad fontes Armeniacos et Graecos rem se peregisse affirmant *Chahan de Cirbied* et *Martin* in „Recherches curieuses sur l'histoire ancienne de l'Asie" et multa attulerunt de vita Zadriadis et de ejus stirpe. Vide p. 90 et 213 sqq. et p. 337 infra sqq. Qui quamquam rem pleniorem reddiderunt et Armeniacos quoque fontes respexerunt, tamen non fidissimos in omnibus rebus secuti sunt scriptores Armeniacos multaque minoris auctoritatis, multa fabulose dicta acceperunt. — Plura hac de re vide infra, ubi de fontibus agimus: Cap. I. §. 3. p. 4 sq. et §. 5.

valde dubiae, lumen quoddam et majorem fidem afferre eamque quodammodo supplere potèrunt.

Quodsi numum paullo accuratius et copiosius tractavi, quam libelli inscriptio permittere videbatur, id factum est, propterea quod nondum hucusque ille est editus idemque singularem in hac disquisitione habet vim et auctoritatem.

Singula, quibus usus sum, subsidia enumerare hoc loco praetermittam; in singulis rebus tractandis atque in annotationibus accurate illa indicavi.

Unum modo hic afferam, quod explicando numo (Cap. III) saepe adhibui subsidium. Est praeclarum illud *Ez. Spanhemii* opus „*De usu et praestantia numismatum antiquorum.*“ Sed multa ibi jam pertractata me hic repetiise, quis dicat. Retractavi sane multa, ubi de titulo *BAΣΙΛΕΩΣ BAΣΙΛΕΩΝ* exposui, sed de industria retractavi. Nam vel eam ob causam, quod non omnes mei libelli lectores praeclarum illud opus possident vel ad manus habent, quodque ea, quae equidem nova attuli, sine Spanhemii verbis non satis, quid sibi velint, possunt percipi et cognosci, rei consentaneum adeoque necessarium fuit; neque quisque non intelliget, rei perficiendae et absolvendae me studuisse multaque nova attulisse.

De ipsa numi fide et integritate nihil esse, quod dubites, ex capite II, quod agit de loco, ubi insignis noster inventus est numus, satis apparebit. Ac nemo, rei numa-

niæ gnarûs, qui ipsum numum intentis oculis inspexerit et accurate examinaverit, in dubium vocabit.

Restat, ut viris doctissimis *Creuzero*, *Schlossero*, et maxime *Baehrio*, quos in hac universitate litterarum inter præclarissimos artium liberalium ego magistros admiror et veneror, pro singularibus in me beneficiis, quod non modo libris, quos bibliotheca academiæ publica non præbuit, sed etiam eximio consilio humanissime et liberalissime me adjuverunt, maximas, quas possum, gratias agam.

Non minus debeo professori Monacensi Dr. *Neumanno*, viro rerum et linguarum Orientalium peritissimo, quem, quum nonnullos vere praeterlapso ego dies Monachii versarer, de plurihus rebus consului, quae, quia ad libros Armeniaco sermone conscriptos mihi linguae Armeniacae imperito aditus non patuit, valde dubiae mihi erant, quaeque viri doctissimi humanitate ac benevolentia expeditae sunt.

Neque silentio praetermittere possum professoris *Staelini*, bibliothecae Stuttgartianae praefecti et *Krabingeri Wiedmannique*, bibliothecae publicae Monacensis custodis et curatoris eximiam comitatem, qua plura ad hanc rem pertinentia exscribere mihi licuit ex raris quibusdam, quos non quæque bibliotheca publica continet, libris.

Scripsi, Heidelbergae, mens. Sextil. 1840.

Guido Sandberger.

PROOEMIUM.

Historia populorum antiquorum permulta hic illic obscura et parum illustrata, permulta adhuc ambigua et certa fide habet carentia. Quorum haud pauca sempiternis jacebunt obruta tenebris; multa erui et expediri poterunt; pauca interdum quasi sua sponte ex densa emergunt caligine.

Quare, quo obscuriores multae imprimis Asiae exterioris historiae partes sunt, quae certis carent monumentis, quo magis incerta et ambigua praecipue Armeniae minoris est historia antiquissima, de qua recentiores antiquarum historiarum scriptores tantopere inter se differunt, eo magis gaudemus, quod ipse regni Armeniæ minoris conditor et rex primus quasi ex tumulo exsurgit, quod ipse sui ipsius certissimum reddit testimonium Zadriades, quod ipse, ut accuratius ipsius et stirpis historiam tractare nunc liceat, auctor exstitit.

Namque praeclarus noster numus, in ipsa libelli inscriptione delineatus, non ideo solum, quod doctrinam numorum egregia et gravi accessione amplificat regumque Arme-

niae seriem adhuc „egenam et mancam“*) rege antiquissimo minoris Armeniae auget, verum hac quoque ex causa summam habet vim et auctoritatem, quia certum in eo initium et firmum quasi habemus fundamentum, quo Armeniae minoris nitatur historia, quia invento numo nihil amplius potest remanere dubium, vixeritne revera ille rex, quodque sit certum ejusdem nomen.**)

Quae cum ita sint, haec proficiscitur totius libelli partitio, ut primo loco *de fontibus*, de numo et de scriptoribus Graecis Armeniacisque, *in universum* agamus (Cap. I.); deinde *singulatim de numo*, de loco, ubi inventus est, de numi historia disseramus (Cap. II.); describamus et illustremus numum (Cap. III); tum *quae* de ipso rege et de ejus stirpe *habent scriptores*, afferamus et exponamus (Cap. IV.); denique *historiam Zadriadis ejusque stirpis* plenam et perfectam, quoad sine fabulis id fieri poterit, exhibebimus (Cap. V.).

---

*) Vide *Eckhelii* doctrin. numor. vett. Part. I. Vol. III. p. 205.

**) Quamquam nequaquam, haec si diximus, voluimus contendere, alio quoque modo in Graecum nomen vocem barbaram mutatam esse posse. Certior autem simulque melius sonans illa forma est, quae in ipsius regis numo legitur. Cf. Cap. IV. §. 8.

CAPUT I.

Agitur in universum de fontibus.

§. 1.

Quamvis antiquae historiae partem tractanti inde ante omnia proficiscendum est, ut agat de fontibus, unde ea, quae exponet, fluxerunt, ut firmum jaciat fundamentum, quo, quae tractabit, nitantur, ita ut quisque harum rerum peritus de fontium auctoritate recte judicare possit.

Quare nostra quoque de obscuro illo et fere ignoto Armeniae minoris rege primo ejusque de stirpe disquisitio inde initium capiat necesse est, ut primo loco in universum pertractentur fontes, quos singulos deinceps persequemur.

Pauca quidem ea sunt, quae certam fidem nobis facient, sed praestantissima illa et gravissima.

Itaque de numo regis adhuc inedito, de scriptoribus, et Graecis, et Armeniacis, qui de rege ejusque de stirpe certi quid memoriae prodiderunt, exponemus.

§. 2.

Numum primarium dicimus et certissimum esse fontem, optimum et firmissimum fundamentum, in quo scriptorum testimonia nitantur, unde vim, auctoritatem, fidem accipiant.

Qua de re vix quidquam dubii nobis esse potest. Neque enim ad numi fidem et integritatem probandam sin-

gularia numi signa, neque litterarum ductus, neque aliam formae et aeris rationem ut consideremus et disquiramus opus erit. Jam ex ipso loco, ubi inventus est numus, ex conditione, qua erat, quum inveniretur (vide infra Cap. II.) optime et certissime apparet.

Quae quum ita sint, numus egregie ostendit et confirmat, vixisse revera illum virum, cujus certum ille exhibet nomen. (Quod quidem non parvi est: omnes enim libri manu scripti apud illum auctorem, qui solus inter Graecos hujus regis mentionem facit, dubias et incertas praebent nominis lectiones.)

Videmus simul in numi parte antica effigiem, videmus vestitum habitumque regis (vide Cap. III. §. 1.); in parte aversa non modo signum, ut ita dicam, symbolicum, sed etiam insculpta regis appellatio (v. Cap. III. §. 2.) ad ejus historiam aperte revocat.

§. 3.

Scriptores, quibus utemur in historia Zadriadis ejusque stirpis tractanda, sunt et Graeci et Armeniaci, ex quibus illi ad nostram rem, quamquam de rege Armeniae, sed de antiquo Armeniae rege agitur, multo majorem habent auctoritatem, quam Armeniaci. Quamquam enim paucissimi sunt Graecorum loci, qui ad nostram rem quid afferunt, tamen ea ex causa graviores sunt, quia, quod satis constat, litterarum notis Armeniacis saeculo quinto post Chr. n. denique inventis*), primi scriptores Armeniaci exstiterunt, qui

*) Vide *Neumann*: Gesch. der armenischen Literatur p. 28 sqq. et in primis p. 32 sqq.

de historia antiqua praeter Syriacorum scriptorum libros Graecorum maxime, ut ipsi profitentur, usi sunt auctoritate.

Ex quibus scriptoribus Armeniacis alios omnes omittimus, quorum plurimi, praesertim ubi de rebus antiquissimis agitur, quaecunque in ore populi ferebantur, fabulis illa quidem saepissime intermixta, aucta, amplificata in suos historiarum libros receperunt ideoque ea fide carent, quam necesse est habeat auctor locuples.

Solo *Moyse Chorenensi*, primo historiae Armeniacae scriptore Armeniaco, et praesertim *Michaeli Tschamtscheano* utemur, scriptore recentioris quidem temporis, sed magnae auctoritatis pro nostra disquisitione, quia de historia antiqua quaecunque apud antiquissimos scriptores Armeniae fide digna reperiuntur, in magnum historiae Armeniacae corpus recepit.

Inter Graecos habemus *Strabonem*, *Diodorum Siculum*, *Polybium*, qui ad ipsam rem aliquid afferunt.

Sed quum uberiores deficiant fontes, neque res tam plene et omnino dilucide possit exponi, ut expedita inde et quasi evoluta nobis exhibeatur illa historia, consentaneum et necessarium erit, ut praeter auctores primarios paucis aliis etiam utamur scriptorum locis, qui non omnino de hac nostra re agunt, sed ex parte rem adjuvant et luminis aliquid afferunt.

Sed difficile esset, uno illius scriptoris, qui plura de ipsa Zadriadis historia narrat, testimonio excepto, ea, quae reliqui scriptores antiqui aliam rem tractantes data occasione afferunt, ad stirpem Zadriadis recte referre et inter se uno quodam vinculo communi conjungere, nisi *Tschamtscheanus* aliquid auxilii ferret et, quae ex ceteris scriptoribus nos componere possumus, confirmaret.

§. 4.

Consideremus igitur in universum scriptores, quorum auctoritate et verbis nitamur in historia tractanda.

Unicus ille, sed praeclarus, qui e Graecis de ipso Zadriade et de prognato quodam agit, *Strabo* est in geographia, ubi Armeniam tractat.

Quo sane quemnam hac de re certiorem, quemnam veriorem, quem fide magis dignum invenire possimus auctorem?

Strabo enim inter omnes viros doctos in primis, si de rebus Asiaticis quaeritur, praeclarus et gravis testis habetur. Amasiae, Cappadociae urbe natus, centum et quinquaginta annis postquam Zadriades regno Armeniae minoris potitus erat, optime certissimeque de regno tam vicino ac de rege ejus primo referre potuit.

Quare singulari et praeclara sunt fide, quae de hac re ille memoriae prodidit.

In fragmentis *Diodori Siculi* et *Polybii* nonnulla leguntur, quae ad stirpem Zadriadis pertinent. Horum autem scriptorum de fide supervacaneum est verba facere.

§. 5.

Inter scriptores Armeniacos, uti diximus, *Moyse Chorenensi* et *Michaeli Tschamtscheano* utemur.

*Moyses Chorenensis**), anno circiter 370 p. Ch.

*) Vide *Neumann*: Gesch. der armenischen Literatur, p. 48 — 50. — *Chahan de Cirbied* et *Martin*: Recherches curieuses sur l'histoire ancienne de l'Asie, p. 231 sqq., p. 293, 298 sqq. — *Saint-Martin*: Mémoires sur l'Arménie. Tom. II. p. 301 sqq. — *Klaproth* in „Encyclopédie des gens du monde." Tom II. p. 299. — *Blum*. Herodot und Ktesias, die aeltesten Geschichtsforscher des Orients. p. 148 sqq. — *Neumann*: Gesch. der arm. Lit. p. 2 sqq.

natus in vico „Chorem“ sive „Chorni,“ mortuus 489, discipulus *Isaaci* et *Mesropii*, qui, quum Armeniacas litterarum notas invenissent, ipsas Armeniacas litteras et artes ingenuas fundaverunt, octo per annos in Mesopotamia, Alexandriae, Romae, Athenis, Byzantii commorans virorum doctorum scholas et societates frequentavit ibique plures linguas didicit et quae praeclara in his linguis scripta erant, cognovit, quorum multa, in primis e lingua Graeca et Syriaca, novis utens litterarum notis in patriam convertit linguam. Quo ex studio optimorum apud varias gentes operum *Moyses* multum videtur percepisse utilitatis; ut in ipsa patria lingua elegantius et perfectius scriberet et merito ab Armeniis non poëtae et viri docti tantum, sed etiam litterarum parentis cognomine appellaretur.

Ex omnibus ejus scriptis historia Armeniaca praestantissima est. Incipit ab incerto gentis Armeniacae auctore, *Haico*, et in morte *Isaaci* et *Mesropii* finitur. Omnia in tres libros digesta sunt. *Moyses* quamquam non ubique sagacissimum judicium ostendit, certissimus tamen et gravissimus auctor est, quia ex optimis hausit fontibus, in primis, quod ipse saepius dicit, ex scriptoribus Graecis, quorum opera ex parte nobis sunt conservata, ut inde comparare et *Moysis* fidem examinare possimus, tum vero etiam ex scriptoribus Syriacis, inter quos *Mar-Ibas Catinensis* primarius est auctor.

(De quo plura invenies ll. ll.)

Alter scriptor Armeniacus, cujus auctoritatem sequimur, Michaelis *Tschamtscheanus* *) est.

---

*) Vide *Neumann*: Gesch. der arm. Lit. p. 295 sq. — *Chahan de Cirbied* et *Martin*: Recherches p. 321 sqq. — *Klaproth* in „Encyclopédie des gens du monde.“ Tom. II. pag. 300.

Natus Constantinopoli anno 1738, ibique mortuus anno 1823, vir praeclari ingenii et singularis doctrinae fuit. Scripsit, omissis hoc loco ceteris, quos composuit, libris, magnum historiae Armeniacae opus, quod ab initiis gentis Armeniacae incipiens historiam usque ad annum 1784 pertractat. Quo in opere omnia, quae ipsi fide et scitu digna viderentur ex prioribus partim ineditis scriptoribus, plene exhibuit et praeclaro dicendi genere usus in primis ad temporum ordinem accuratissime digessit.*)

*) *Neumannus*, quamquam l. l. Tschamtscheanum parum adhibuisse criticae subtilitatis in tractanda historia antiqua dicit, tamen laudat opus ex omnibus recentioris temporis libris Armeniacis praestantissimum et, quum feriis vernalibus ego Monachii illum viserem, ex scriptis Armeniacis Tschamtscheani historia egregie me niti posse, confirmavit, quia primarias quasque res ad priorum scriptorum auctoritatem plene et accurate consignarit. Qui idem nuperrime per epistolam accuratius hac de re a me consultus rescripsit, praecipue in rebus ad religionem pertinentibus illum carere critica subtilitate et non plane sine ira et studio exponere, ubi autem de rebus gestis ageret, quas ex bonis et partim ineditis congesserit libris, gravem et fidum esse auctorem.

CAPUT II.

De loco, ubi inventus est numus, et de nūmi historia disseratur.

§. 1.

Zadriadis numus anno 1818 haud procul ab urbe Moguntia, loco non valde remoto a sinistra Rheni ripa, *apud palatium Caroli Magni in vico*, qui „*Niederingelheim*“ vocatur, inventus est.

Quem qui invenerat homo, harum rerum imperitus temere defricuerat aeruginem ita quidem, ut inde nunc nos possimus judicare, qualem vim adhibuerit numo purgando, indeque tradidit numum *Kiefero*, nautae Ruedesheimiensi.

A quo deinde acceperat causarum actor *Andrée*, cujus humanitate anno 1838 numothecae *Jo. Ph. Sandbergeri*, professoris Weilburgensis, illatum est praeclarum hoc monumentum, ubi vide sis numum primo loco tabulae quintae.

§. 2.

Niederingelhemii igitur inventus est, classico, quem dicunt, solo.

Jam si quaeras, *quomodo fieri potuerit, ut illius primi et vetustissimi regis Armeniae minoris numus in Germaniam* (sive in Galliam, si antiquam sequi volumus geographiam) *veniret et quomodo ad ipsum hunc locum, ubi in-*

ventus est, nemo non intelliget ad hanc quidem quaestionem quodammodo responderi posse.

Statim ab initio hujus rei disquirendae hoc maxime considerandum et tenendum est, Armeniacum vicinosque populos perpetuo, modo societate cum Romanis conjunctos, modo imperio Romano subjectos fuisse.

Multae inde ac variae nobis apparent viae, quibus numus ex Armenia, cum Roma semper conjuncta, ad Romanos et per eos in Germaniam venire potuerit.

Nam — ut nonnullas tantum hoc loco ex historia in universum attingam res — ipse *Zadriades* cum Romanis conjunctus erat.*). Bello Mithridatico exorto saepius exercitus et imperatores Romani in ipsam Armeniam venerunt, pluries ibi castra posuerunt, nonnullis proeliis cum *Mithridate* ipso ejusque socio *Tigrane*, Armeniae rege contenderunt.**) Quis deinde bello Mithridatico confecto cum singulis illustribus civibus et ducibus Romanis amicitia arctius conjunctus erat quam *Dejotarus*, qui minorem Armeniam acceperat?***) Quis Romanis magis deditus quam *Dejo-*

*) *Strabo* XI., 13. §. 13. p. 597, Tom. IV. ed. Tzschucke.

**) *Appian.* de bello Mithr. c. 84 sqq, 90, 104, 114 sq., 117. — *Justin.* XXXVIII., 3; XL., 1 sq.; XLII., 1 sqq. — *Dio Cass.* fere per totum libri XXXV. fragmentum p. 77 sqq.; XXXVI., 31, p. 104 sq.. 34, p. 107 ed. Reimar. — *Flav. Joseph.* Antt. Judd. XIII., 16. §. 4, p. 356. Tom. II. ed. Oberthür. — *Strabo.* XII., 3. §. 1, p. 44, Tom. V. ed. Tzsch. — *Dio Cass.* (frgm. ex Xiphilino) p. 75 ed. Reim. — *Plutarch.* Lucull. 19, 21 sqq., 25. sqq., Pompej. 32, 36. — *Eutrop.* V, 3 sqq., VI., 7, 10, 11. — *Florus.* III., 5. §. 21 sqq. — *Plut.* Pomp. 33. — *Valer. Max.* V, 1. §. 9. — *Strabo.* XVI., 1. §. 24, p. 290., Tom. VI. ed. Tzsch. — *Dio Cass.* XXXVII, multi loci a cap. 3 — 13. p. 112 sqq. — *Flav. Jos.* XIV, 2. §. 3, p. 374. Tom. II., ed. Oberth. *Juliani* Caesares 20. —

***) *Strabo.* XII., 3. §. 13. p. 76. Tom. V., ed. Tzsch. — *Cicero* ad

tarus (*II*), Dejotari filius?*) — *Crassus* quum adversus Parthos exercitum duceret, Armeniacis usus est auxiliis.**) — Multa in Armenia *Antonius* bella gessit, multa ibi insidiose et superbe egit.***) —

§ 3.

Sub *Augusti* imperio ab initio Armenia in Parthorum erat potestate, deinde plures deinceps, prout opus erat, *Augustus* Armeniis dedit reges****). Minor Armenia quomodo a *Zadriade* regnante ad hoc usque tempus erga Romanos se habuerit, qualis societas, qualis conjunctio cum iis fuerit, praeclarus gravissimi scriptoris locus [1]) ostendit: *Τὴν μὲν οὖν μικρὰν Ἀρμενίαν ἄλλοτ' ἄλλων ἐχόντων, ὡς ἐβούλοντο Ῥωμαῖοι, τὸ τελευταῖον εἶχεν ὁ Ἀρχέλαος.*

Saepius deinde Armenii inter Romanorum et inter Parthorum imperium distrahebantur. [2]) Plures *Tiberio* imperante Armeniis deinceps reges constituti sunt. [3]). — Sub

divv. XV., 1.; de divinat. II., 37.; oratio pro Dejot.; Philippica XI., 12. — *Dio Cass.* XLI., 63. p. 302; XLII., 45. p. 332; XLIX., 32. p. 592 ed. Reim. — *Hirtius* de bell. Alex. 67 aq. — *Eutrop.* VI., 14. — *Plutarch.* Cato min. 12.

*) *Cic.* Philippica l. l. (XI, 12.)

**) *Plut.* Crass. 19.

***) *Tacit.* Ann. II., 3. — *Plut.* Anton. 36 sqq. — *Vellej.* II. 82. §. 3. *Liv.* epitome 130 sq. — *Fl. Joseph.* A. Judd. XV, 4. §. 3. p. 838. Tom. II ed. Oberth. — *Dio Cass.* XLIX., 40. p. 598., 33. p. 593., 44. p. 601 infra et 602 ed. Reim.

****) *Tacit.* Ann. II., 3 sq. — *Sueton.* Octav. 21., Tiber. 9. — *Horat.* epp. I., 12. v. 26 sq. — *Florus* III., 12. §. 4., IV., 12. §. 42 sq. — *Vellej.* II, 94. §. 4.; 102. §. 2; 122. — *Sext. Ruf.* 19. — *Eutrop.* VII, 5. — *Dio Cass.* LIV., 9. p. 738., LV., 11. p. 782 ed. Reim.

1) *Strabo.* XII., 3. §. 29. p. 123. Tom V. ed. Tzsch.

2) *Tacit.* Ann. II., 55 in fine et 56; VI., 31 sqq. — *Sueton.* Tib. 41. — *Dio Cass.* LVIII, 26. p. 898 ed. Reim.

3) *Tacit.* Ann. II., 56; III., 48; XII., 44. — *Suet.* Tib. 41; Calig. 1.

Claudii imperio Armenii sicut Parthi et Germani in senatu Romano sedent.*) — *Cotys* deinde minoris Armeniae regnum habuit**); quod postero tempore *Nero* imperator *Aristobulo* dedit.***)

Spectandum etiam est, quomodo *Vologeses*, *Tigranes*, in primis *Tiridates* in *Neronem* sese gesserint.****) — *Neroni* ex Armenia abeunti *Tiridates* super sestertium millies dedit.[1]) — *Trajanus* Armeniam bello devictam in provinciae formam redegit[2]); *Hadrianus*, *Trajani* gloriae infensus, liberam rursus reddidit.[3]). *Marcus Aurelius* imperator *Soaemo* Armeniae regnum dedit.[4]). Plura deinde sequuntur bella, in quibus Armenii vincuntur.*) *Septimius Severus*, quum in Oriente bellum gereret, Armeniam quoque invasurus erat, quod quidem rex Armeniae pecuniis, muneribus, obsidibus, sagittariis auxiliaribus missis prohi-

---

*) *Sueton.* Claud. 25.

**) *Tac.* Ann. XI., 9 sq. — *Dio Cass.* LIX., 12. p. 918 ed. Reim. — *Flav. Jos.*. XIX., 8. §. 1. p. 1066. Tom. II. ed. Oberth. —

***) *Tac.* Ann. XIII., 6 sqq. — *Flav. Jos.* XX., 8. §. 4. p. 1120. Tom. II.

****) *Tac.* Ann. XIII., 34 sqq.; XIV, 23 sqq.; Historiar. III., 24. — *Dio Cass.* (Epitome Xiphil.) LXIII., 1 — 7. p. 1027 sqq.; LXI., 3. p. 982.; LXII., 19 sqq. p. 1016 sqq. ed. R. — *Sueton.* Nero 13. — *Flav. Jos.* A. Judd. XVIII, 5. §. 4 ad fin. p. 896. Tom. II. ed. Oberth.

1) *Suet.* Nero 30.

2) *Tac.* Ann. XV., 1 sqq., 24 sqq. — *Dio Cass.* LXIV., 17 sqq. p. 1133 sqq. — *Sext Ruf.* 14 et 20. — *Eutrop.* VIII., 2. — *Eekhel.* doctrin. numm. antiqq. Pars II. Vol. VI. p. 438.

3) *Sext. Ruf.* 14.

4) *Dio Cass.* LXXI. p. 1201 ed. Reim. — *Capitolin.* in M. Antonin. Phil. 9.

*) *Capitolin.* in L. Vero 7. — *Gallican.* in Avidio Cass. 6.

huit.*) — Ab eodem imperatore *Sanatruces* parte Armeniae donatur**). Quem Armeniae regem *Caracallus* dolo cepit, qua de causa Armenii bellum parant***). Vincitur *Caracalli* exercitus****). *Macrinus* deinde *Tiridatem*, *Sanatrucis* filium, qui simul cum patre in servitutem abductus fuerat, in regnum paternum reduxit.[1])

§. 4.

Multae igitur quamquam sunt viae, quibus in Germaniam et in ipsum quoque, ubi inventus est, locum per Romanos numus venire potuerit, multo tamen insignior haec via, qua ipsos Armenios, Romanorum socios non in Germaniam (Galliam) solum, sed in ipsum locum secum tulisse numum statuas. Habemus enim scriptorem ex omnium virorum doctorum judicio haud levem nec spernendum, *Herodianum*, qui in historiarum illis locis, ubi de ultimis rebus ab *Alexandro Severo* gestis et de ineunte *Maximini* imperio agit, ansam nobis praebet, unde facile possimus intelligere, quomodo fieri potuerit, ut in ipsum illum, ubi inventus est, locum numus pervenerit.

Sed audiamus ipsius scriptoris verba.

Narrat enim, *Alexandro*, rebus Persicis adversus *Artaxerxem* confectis, Antiochiae commoranti nuncios alla-

---

*) *Herodian.* III., 9. §. 2 sqq. p. 641 sqq. Tom. II. ed. Irmisch.

**) *Dio Cass.* LXXV., 9 (in fine) p. 1264 ed. Reim. — *Vologeses*, *Sanatrucis* filius ibi pro „Sanatruces" (Vologesi filius) in textu quidem legitur. Est confusio nominum. Cf. annot. Reimari.

***) *Dio Cass.* LXXVII., 12. p. 1297 ed. R.

****) Ibid. libr. laud., 21. p. 1306. — *Spartian.* Carac. 6.

1) *Capitolin.* in Macrino 12.

tos esse*); „ὅτι ἄρα Γερμανοὶ, Ῥῆνον καὶ Ἴστρον διαβαίνοντες, τὴν Ῥωμαίων πορθοῦσιν ἀρχὴν, καὶ τὰ ἐπὶ ταῖς ἕχθαις στρατόπεδα ἐπικείμενα, πόλεις τε καὶ κώμας πολλῇ δυνάμει κατατρέχουσιν· εἴη τε οὐκ ἐν ὀλίγῳ κινδύνῳ τὰ Ἰλλυρικὰ ἔθνη, ὁμοροῦντα καὶ γειτνιῶντα Ἰταλίᾳ· δεῖσθαι τοίνυν τῆς αὐτοῦ παρουσίας καὶ τοῦ στρατοῦ παντὸς, ὃς ἦν σὺν αὐτῷ," illum vero perturbatum his litteris allatis et cunctantem ab initio, necessitate tamen coactum, munitis in Oriente castellis, cum reliquis copiis in Germaniam contendisse magnis itineribus, „ἀνύσας δὲ τὴν ὁδὸν" ait *Herodianus***), „μετὰ πολλῆς σπουδῆς, ἐπέστη ταῖς τοῦ Ῥήνου ὄχθαις, καὶ τὰ πρὸς τὸν Γερμανικὸν πόλεμον παρεσκευάζετο· τόν τε ποταμὸν ναυσὶ διαλαμβάνων, ὡς πρὸς ἀλλήλας συνδεθεισῶν, γεφυρωθέντα, εὐμαρῆ τὴν διάβασιν τοῖς στρατιώταις παρέξειν ᾤετο. Rheni et Istri natura dein pertractata, narrat idem scriptor, Mauros jaculatores Parthosque sagittarios ex Oriente secum duxisse *Alexandrum*, ut auxilio essent***). Ejus

*) VI., 7. §. 8 sq. p. 448 sqq. Tom. III. ed. Irmisch.

**) l. l. §. 12 sqq. p. 464 sqq.

***) Parthos, Armenios, alias illarum regionum gentes arte jaculandi et sagittas jaciendi peritissimas fuisse, corporis et equitandi facilitate et celeritate maxime excelluisse, ex antiquis scriptoribus et numis perspicitur. Vide *Strabon.* XI., 4. §. 4. p. 425. Tom. IV. ed. Tzsch.; *Dion Cass.* XL., 15. p. 234 ed. Reimar.; *Herodian.* III., 9. §. 4. p. 644 et §. 7. p. 647, IV., 10. §. 7. p. 966 Tom. II ed Irm.; *Florum* IV., 10. §. 6 sq.; *Horat.* carmm. I., 29. v. 4 et 9 sq., II., 13. v. 17; *Ovid.* art. am. III., v. 786; *Virgil.* Georg. III, v. 31, eclog. 10. v. 59; *Senecae* Oedip. v. 118 sq.; *Statii* silvv. I., 4. v. 78 sq.; *Claudian.* de IV. consulat. Honorii v. 530 sq. — *Mionnet.* Descr. de médailles. Tom. V. p. 8 sqq.; 16 sqq., 49, saepius, Suppl. Tom. VIII. p. 8 sqq., 13 sqq., saepius et tab. incis. XI., 2 et 3, XII., 1 et 2, XIII, 2.; *Vaillant.* Arsacc. imp. p. 186, 241 sq., 246. —

enim generis copiae in primis aptae erant] ad bellum Germanicum.

§. 5.

Addendus est alius ejusdem scriptoris locus.*)

Herodianus enim, postquam in antecedenti capite de ponte facto, de copiis a Maximino bene exercitatis, de nece Alexandri, de *Maximini* rudi et crudeli ingenio dixit, sic pergit incipiente capite secundo:

Διοικήσας δὲ τὰ προειρημένα, πάντα τε τὸν στρατὸν ἀναλαβών, καὶ διαβὰς ἀφόβως τὴν γέφυραν, εἶχετο τῆς πρὸς τοὺς Γερμανοὺς μάχης· μέγα δέ τι πλῆθος, καὶ σχεδὸν ἅπασαν τὴν Ῥωμαίων δύναμιν σὺν ἑαυτῷ εἰσήγαγε, Μαυροσίων τε ἀκοντιστῶν ἀριθμὸν πάμπλειστον καὶ τοξοτῶν Ὀσροηνῶν τε καὶ Ἀρμενίων, [ὧν ἦσαν οἱ μὲν ὑπήκοοι, οἱ δὲ φίλοι καὶ σύμμαχοι], καὶ εἴ τινες Παρθυαίων, ἢ χρήμασι πεισθέντες καὶ αὐτομολήσαντες, ἢ ληφθέντες αἰχμάλωτοι Ῥωμαίοις ἐδούλευον· τὰ δὲ πλήθη ταῦτα τοῦ στρατοῦ καὶ πρότερον ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἤθροιστο, ηὐξήθη δὲ ὑπὸ τοῦ Μαξιμίνου, καὶ εἰς πολεμικὴν ἄσκησιν συγκεκρότητο· μάλιστα δὲ οἱ ἀκοντισταὶ καὶ οἱ τοξόται πρὸς τὰς Γερμανῶν μάχας ἐπιτήδειοι δοκοῦσιν, ἐπιτρέχοντές τε αὐτοῖς κούφως οὐ προσδοκῶσι, καὶ ἀναχωροῦντες ῥᾳδίως.

Unde satis intelligitur, Armenios Romanorum amicos et socios auxilio adfuisse Romanis in bello Germanico, castra ad sinistram Rheni ripam posita fuisse, unde ponte facto in ipsam Germaniam incursarent Romani, *Alexandrum* vero seditione facta in ipsis castris interfectum esse.

*) *Herodian.* VII., 2. §. 1 — 3. p. 381 sqq. Tom. III. ed. Irm. — Cf. etiam *Zosimi* histt. I., 13. §. 3 et *Lamprid.* Alex. Sev. 61 sub fin.

Ac ne quis dicat, longe ab urbe Moguntia haec castra fuisse, satis nunc demonstratum est*), *Alexandrum Severum* illius regionis in vico interfectum esse. Dicit enim *Aurelius Victor***) „Nam dum tantae severitatis vim milites inhorrescunt, (unde etiam Severi cognomentum accesserat,) agentem casu cum paucis vico Britanniae, cui vocabulum Sicila, trucidavere.“ Et simili modo *Lampridius****) rem narrat „Denique agentem eum cum paucis in Britannia, ut alii volunt in Gallia in vico, cui Sicila nomen est, ... quidam milites . . . . occiderunt.“ *Julius Capitolinus*****) et *Eutropius*[1]) in Gallia eum occisum esse referunt. *Jornandes*[2]) „Ipse,“ ait, „Moguntiaci tumultu occiditur militari.“

Haec inter se repugnantia ut convenire possint, hoc tenendum.

Aurelius Victor enim in scriptoribus, quos secutus est, invenisse videtur „In vico Britannorum, cui vocabulum Sicila.“ Quumque ipse nesciret, vix mille passus a Moguntia remotum esse illum „vicum Britannorum,“ inde factum esse videtur, ut, quum „in vico Britannorum“ esset scribendum, „in vico Britanniae“ nihil quidquam hoc differre ratus scriberet.

Praeclare ad hanc rem tria ex Francorum tempore

*) Praeclare *Lehne*, professor quondam et bibliothecae publicae Moguntiacae praefectus, hanc rem explicuit. Vide: Lehne's gesammelte Schriften. Vol. III. Antiquarische, historische und politische Aufsätze p. 73 sqq.

**) De Caesaribus 24.

***) In Alex. Sever. 59.

****) In Maximinis 7.

1) VII, 12.

2) De regnorum successione p. 80 ed. Lindenbrog.

(saeculo VIII) acta succurrunt, quibus adjumentis uti licebit, quum omnes fere, quos Romanorum ex tempore novimus, loci Francorum quoque tempore iisdem nominibus consignati inveniantur.

Legitur enim in primis actis, si quidem temporis cursum sequimur, hoc nomen „villa nominata Prittonorum," in alteris „villa Britannorum," in tertiis „villa Brettonorum." Eodem saeculo octavo jam in Germanicam linguam conversum est hujus vici (villae) nomen, ita quidem ut primum „Brittenheim," deinde „Brizzenheim," denique „Bretzenheim" dicerent, quod nomen hodie retinetur.

Quare a vico „Bretzenheim (Sicila)" Niederingelheimium versus *Alexandri* castra posita indeque etiam Armeniaca auxilia eaque fortasse maxime Niederingelheimium versus collocata fuisse videntur.

CAPUT III.

Describitur et illustratur numus.

§. 1.

Pars antica ostendit *caput Zadriadis regis d. v. tiara cylindrica, cujus apicem diadema circuit, tectum; fascia bipartita inde aurem tegens dependet;* inscribitur *ΖΑΔΡΙΑΔΟΥ.*

In postica *fulmina* videmus et inscriptionem *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ.* — Æ. 2.

Quod Armeniacis litteris non inscriptus est numus, sed Græcis, quamquam vel inde explicatur, quod per omnes Asiæ minoris populos et reges vicinaque regna Græcas numis litterarum notas imprimendi mos erat, ut ex permultis, qui adhuc exstant, illarum regionum numis perspicitur, tamen Armeniacis litteris inscribi numus plane non potuit, quia multo post hoc tempus *Zadriadis* sæculo V p. Ch. n. demum inventæ sunt Armeniacæ litterarum notæ, atque non nisi Græcas et Syriacas notas usurpasse Armenios, satis constat.

In antica effigiem regis habemus, e cujus tiara id simul cognoscimus, *Tigranem* haudquaquam fuisse primum *, qui conicam, quæ antea regum Armeniæ decori fuerat, non amplius, sed hanc tiaræ formam gesserit. Sim-

*) Cf. *Eckhel.* doctrin. numor. vett. Pars. I. Vol. III. p. 203.

plicem tamen illam adhuc fuisse ex nummo clare perspicitur. Ditissima enim illa *Tigranis* ornamenta *) *Zadriadis* tiara nondum habet; stellam fortasse media in tiara ornamento fuisse suspiceris, quia ibi magis detritus est numus.

Tiara (Cidaris), quo capitis ornamento gentes Orientis inde a vetustissimo tempore maxime utuntur, plerumque erat fascia bicolor apud diversos populos diversæ formæ, capiti circumvoluta. Reges eadem adjunctis insignibus utebantur. Tiara regum Armeniæ vetusto tempore conica erat, diademate cincta, deinde magis cylindrica et truncata, e cujus apice radii eminebant. Fasciæ bipartitæ aures tegentes in humeros dependebant.

Hanc tiaræ formam *Dio Cassius* intelligit narrans: *φιγόντος δὲ αὐτοῦ* [scil. *τοῦ Τιγράνου*] *τὴν τιάραν τό τε ἀνάδημα τὸ περὶ αὐτὴν εὑρόντες οἱ στρατιῶται τῷ Λουκούλλῳ ἔδοσαν.* **)

§. 2.

In postica conspicimus fulmen in utramque partem flagrans (*πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος.* Aeschyl. in Prometh. v. 1043.), providentiæ et imperii signum.***)

---

*) V. *Spankem.* de usu et praestant. numismm. antiquor. (edition. Londinensem 1706) Dissertat. VIII. Tom. I. p. 469, quae quidem pagina falsis numerorum signis (465) denotata est. — *Mionnet:* Descr. de médailles. Suppl. Tom. VIII. tab. XIV.

**) *Dio. Cass.* (frgm. ex Xiphil.) p. 76 et XXXVI, 38. p. 108 ed. Reimar. (*τὴν δὲ δὴ τιάραν τό τε ἀνάδημα.*) — Plura de tiaris Armeniacis et diversorum Orientis regum invenies apud Spanhemium de us. et pr. numm. antt. Diss. VIII. I, 2. Tom. I. p. 450 sqq.

***) Plura de fulminis signo, multis numis impresso, *Spanhemius* de us. et pr. numm. antt. Diss. VII. III, 3. Tom. I. p. 429 sqq.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ titulus, quem ibi legimus, et ejusmodi similes apud Orientis reges et regulos saepissime inveniuntur.

Ut in numo *Zadriades*, sic eadem appellatione *Tigranes*, posterioris temporis rex Armeniae, a pluribus historiae scriptoribus *) et in numis **), sic *Artavasdes*, Armeniae rex, in numo ***) nominatur.

Splendidus hic titulus a veteribus regibus Persiae ad Armenios pervenisse videtur. *Ammianus* nobis narrat****), *Saansaan* [1]) (Schahinschah) appellatos esse Persiae reges, quo titulo *regem regibus imperantem* significari addit.

---

*) *Dio Cass.* XXXVII, 6. p. 118 ed. Reim. — *Memnon.* hist. excerpt. 46. p. 68 ed. Jo. Conr. Orellius. *Γράφει δὲ καὶ ἐπιστολὴν* (sc. *ὁ Τιγράνης*) *πρὸς Λεύκολλον*, (qui a Tigrane Mithridatem, ejus socerum, exposcit), *τοὺς εἰρημένους λόγους ἔχουσαν· ἧτις παρώξυνε τὸν δεξάμενον· οὐ γὰρ ἐνέγραψεν αὐτὸν αὐτοκράτορα, ὅτι μηδὲ αὐτὸς ἐκεῖνον κατὰ τὰς ἐπιστολὰς βασιλέα βασιλέων προσηγόρευσεν.* — *Appian.* de reb. Syriac. 48. p. 608. Vol. I. ed. Schwgh. — — *καὶ βασιλεὺς Τιγράνης, ὁ Τιγράνους, ἔθνη τινὰ τῶν περιοίκων ἰδίοις δυνάσταις χρώμενα ἑλὼν Βασιλεὺς ἀπὸ τοῦδε Βασιλέων ἡγεῖτο εἶναι.* Quae si causa hujus tituli est, plane eandem rationem de Zadriade accipere possumus. — *Plutarch.* in Lucullo 14. Lucullus de Tigrane loquens *βασιλέα βασιλέων* eum nominat; 21 in fine legimus, Tigranem ad epistolam, in qua Lucullus *βασιλέα* tantum, non *βασιλέα βασιλέων* appellasset, respondentem ne imperatoris quidem titulum illi dedisse.

**) Cf. *Erasm. Fröhlich*, Notitia elementaris numismm. antiquor. Cap. IX. de regib. Armen. et eorum numismm. p. 182 et tab. iucis. XV., 4. — *Mionnet*, Descr. de médailles antiques. Tom. V. p. 108 et Suppl. Tom. VIII. p. 79 et 81. — *Eckhel.* Addenda ad doctr. numm. vett. p. 36.

***) *Mionnet.* Descr. de méd. Tom. IV. p. 486 et Suppl. Tom. VII. p. 726.

****) XIX., 2. §. 11.

1) In numo Pharnacis (cf. Patinus ad Suet. p. 25.) legitur *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΟΣΣΑΝ ΜΕΓΑΛΟΥ ΦΑΡΝΑΚΟΥ* et in numo Cleopatrae

Sæpissime etiam Arsacidæ apud scriptores *) æque atque in numis **) usque ad posteriora imperatorum Romanorum tempora hoc titulo nominati occurrunt.

Sesostris quoque, vetus ille Aegypti rex, postquam multis terris vi expugnatis in Thraciam usque venit, cippum constitutum litteris sacris hoc fere modo inscripsit: *Τήνδε τὴν χώραν ὅπλοις κατεστρέψατο τοῖς ἑαυτοῦ βασιλεὺς βασιλέων καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις.* ***)

Cleopatrae reginæ Antonius titulum dedit „*ΒΑΣΙΛΙΣ*

(cf. l. l. p. 76), *ΒΑCΙΛΙΚCΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΟCΑΝ Cγ-ΤΕΙΡΑ*. Hoc *ΟΣΣΑΝ* et *ΟΣΑΝ* ad eandem stirpem cum Saansaan referendum esse videtur. Cf. Sylloge nova epp. vol. V. p. 125.

*) *Plutarch.* in Pompejo 38. — *ὅθεν οὐδ' ἠξίωσε τὸν Πάρθον, ἀντιγράφων, ὥσπερ οἱ λοιποὶ, βασιλέα βασιλέων προσαγορεῦσαι, τοῖς ἄλλοις χαριζόμενος.* — *Sueton.* in Caligula 8. — *Dio Cass.* XXXVII, 6, p. 115. Phraatem III., Parthiae regem, hac appellatione nominat. — LV., 11. p. 782 infra et 783. Phraates IV. ad Augustum, qui ei regis titulum denegaverat, rescripsit, se ipsum nomine *βασιλέως βασιλέων*, Augustum Caesaris tantum titulo appellans. LXVI., 11. p. 1086 ed. R. Rex Vologesus ad Vespasianum imperatorem scripsit *Βασιλεὺς βασιλέων Ἀρσάκης* cett. — In frgmm., quae Aug. Maius in codd. Vatt. rescriptt. invenit, eadem res commemoratur. Vide: Scriptt. vett. nova collect. e Vatt. Codd. edita ab A. Maio Tom. II. p. 220. CII., 11. *Ὅτι Οὐολογέσου τοῦ τῶν Περσῶν βασιλέως ἐπιστείλαντος αὐτῷ οὕτως· βασιλεὺς βασιλέων Οὐολόγεσος φίλῳ Βεσπασιανῷ χαίρειν, μήτε αὐτοκράτορα, μήτε αὔγουστον αὐτὸν ὀνομάσας, οὐκ ἀνθύβρισεν* (sc. ὁ Βεσπασ.), *ἀλλ' ἀντέγραψεν οὕτως· βασιλεῖ βασιλέων Οὐολογέσῳ Βεσπασιανὸς Καῖσαρ.* —

**) Cf. *Spanhem.* de us. et praest. numismm. antt. Dissert. VIII. II., 2. Tom. I. p. 460 sqq. — *Corsini.* De Mithridate aliorumque Armeniae regum numis et Arsacidar. epoch. dissertat. p. 35 infra et 53. — *Haym.* Thesaur. Britannic. interprete Jos. Khell. Pars II., p. 33. et tab. IV., 8. — *Vaillant.* Arsacidar. imperium ad fid. numismm. accommodat. p. 6 et sexcenties in sequentib. per totum librum.

***) *Diodor. Sicul.* bibl. I., 55. p. 65. Tom. I. ed. Wesseling.

(synon. c. *βασίλεια*) *ΒΑΣΙΛΕΩΝ*“**), *Caesarioni*, filio ejus ex Caesare natu minori „*ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ*“**), suis ex *Cleopatra* filiis „*ΒΑΣΙΛΕΙΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ.*“***)

Artaxerxes (Ardeschir Babekan), rex primus e Sassanidis, eodem titulo *regis regum* (indogerm. *Schahinschah*, semitice *Malkan Malka* [hebraice. Meloch Hammelachim] a Graece****) et a Persico [1]) scriptore, itemque in complaribus inscriptionibus, lapidi incisis [2]), atque in numis [3]) nominatur.

Postremis imperii Romani temporibus Caesares quoque *ΒΑΣΙΛΕΙΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ* vocabantur.[4])

Wartanus, Mamigoniorum princeps et Armeniorum imperator, *rex regum* nominabatur.*)

Simili quoque titulo „*ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ*“ multi Orientis reges appellantur, ut *Artaxerxes***), *Ptolemaeus*

---

*) *Dio Cass.* XLIX, 41. p. 598 ed. Reim. — Superest etiam quidam Antonii et Cleopatrae numus (cf. *Vaillant.* Histor. Ptolemaeor. ad fid. numismm. accommod. p. 194 sive: *L. Annaeum Florum* ex recensione Graevii. Amst. 1702. Tom. I. p. 497.), cujus altera pars Cleopatrae effigiem ostendens inscripta est: REGINÆ REGVM FILIORVM REGVM CLEOPATRÆ.

**) *Dio Cass.* loc. modo laud.

***) *Plutarch.* in Anton. 54.

****) *Herodian.* VI, 4. §. 8. p. 365. Tom. III. ed. Irm.

1) *Mirkhond.* Histoire des rois de Perse de la dynastie des Sassanides, traduite du Persan par Silvestre de Sacy in: Mémoires sur diverses antiquités de la Perse p. 273.

2) Vide libr. laud. *Silv. de Sacy:* Mémoires p. 30 sq. et p. 86 sq.

3) l. l. p. 171 sqq. et tab. VI. sq., p. 204 et tab. VIII.

4) Cf. *Spanhem.* de us. et praest. numm. antt. Diss. VIII. II., 2. Tom. I. p. 464.

*) Cf. Locum *Ardsrunii* apud Neumann. Gesch. d. armen. Lit. p. 67.

**) *Flav. Joseph.* Antt. Judd. XI., 6. §. 6. p. 64 et §. 12. p. 80 Tom. II. ed. Oberth.

Philadelphus,*) reges Parthici apud scriptores Graecos**) et in numis***), *Tigranes* ****), *Antiochus Epiphanes* in numis.[1])

Omnium denique hujus modi titulorum is est splendidissimus, qui ex conjunctione appellationum *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ* et *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ* oritur et, quamquam raro, in Arsacidarum numis[2]) occurrit *ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΜΕΓΑΣ.*

---

*) l. l. XII., 2. §. 4. p. 116. Tom. II. Ad Ptolemaeum Philadelphum Demetrius Phalereus, bibliothecarum regiarum praefectus, librum mittens, litteras dat, quae incipiunt: *Βασιλεῖ μεγάλῳ παρὰ Δημητρίου.*

**) *Plutarch.* in Lucullo 14. — *Herodian.* III., 9 §. 18. p. 657; IV, 10 §. 4. p. 962 sq; IV., 14. p. 1055. Tom. II.; V., 1. §. 8. p. 11; VI., 2. §. 3. p. 312. Tom. III ed. Irm.

***) V. *Erasm. Fröhlich.* Ad numismm. regg. vett. accessio nova p. 73 et tab. II., 2. — *Vaillant.* Arsacidar. imper. p. 241 et 246. — *Haym.* Thes. Brit. interpr. I. Khell. Pars II. p. 34 et 38 et tab. IV, 10; V., 1 et 3.

****) Cf. *Mionnet.* Descript. de méd. antt. Suppl. Tom. VIII. p. 8. — *Eckhell.* Addenda ad doctr. numm. vett. p. 36.

1) *Mionnet.* l. l. Tom. V. p. 130 et Suppl. Tom VIII. p. 100.

2) *Fröhlich.* Ad numismm. regg. vett. accessio nova p. 87 et tab. III. 4. — *Vaillant.* Arsacidar. imp. p. 185. — *Haym.* Thes. Brit. Pars II. p. 38 et tab. V., 2.

CAPUT IV.

Explicantur, quae de Zadriade ejusque de stirpe afferunt scriptores.

§. 1.

Postquam de numo regis, firmissimo, in quo scriptorum testimonia nituntur, fundamento egimus, jam ipsi primarii scriptorum loci, qui ad nostram disquisitionem pertinent, nobis adhibendi atque comparandi sunt.

Audiamus primo loco *Strabonem*, qui ubi de geographia Armeniae agit, duo praeclara exhibet testimonia, quae ad Zadriadis historiam spectant, XI., 13. §. 5. p. 578 et XI., 13. §. 15. p. 597 sq. ed. Tzschucke.

§. 5. *Ἱστοροῦσι δὲ, τὴν Ἀρμενίαν, μικρὰν πρότερον οὖσαν, αὐξηθῆναι διὰ τῶν περὶ Ἀρταξίαν καὶ Ζαριάδριν [Θαριάδην, Ζαριάδην], οἳ πρότερον μὲν ἦσαν Ἀντιόχου τοῦ μεγάλου στρατηγοὶ, βασιλεύσαντες δ' ὕστερον μετὰ τὴν ἐκείνου ἧτταν, ὁ μὲν, τῆς Σωφηνῆς καὶ τῆς Ἀκιλισηνῆς, καὶ Ὀδομαντίδος, καὶ ἄλλων τινῶν, ὁ δὲ, τῆς περὶ Ἀρτάξατα συνηύξησαν, ἐκ τῶν περικειμένων ἐθνῶν ἀποτεμόμενοι μέρη· ἐκ Μήδων μὲν τήν τε Κασπιανὴν καὶ Φανῖτιν, καὶ Βασοροπέδαν· Ἰβήρων δὲ τήν τε παρώρειαν τοῦ Παρυάδρου, καὶ τὴν Χορζηνὴν, καὶ Γωγαρηνὴν, πέραν οὖσαν τοῦ Κύρου. Χαλύβων δὲ καὶ Μοσυνοίκων Καρηνῖτιν καὶ Ξερξηνὴν, ἃ τῇ μικρᾷ Ἀρμενίᾳ ἐστὶν ὅμορα, ἢ καὶ μέρη αὐτῆς ἐστί· Κατάονων δὲ*

Ἀκιλισηνὴν καὶ τὴν περὶ τὸν Ἀντίταυρον· Σύρων δὲ Ταμωνῖτιν, ὥστε πάντας ὁμογλώττους εἶναι.

---

§. 15. Ὁ μὲν δὴ παλαιὸς λόγος οὗτος.*) Ὁ δὲ τοῦτου νεώτερος καὶ κατὰ Πέρσας εἰς τὸ ἐφεξῆς μέχρι εἰς ἡμᾶς, ὡς ἐν κεφαλαίῳ πρέποι ἂν μέχρι τοσούτου λεχθεὶς, ὅτι κατεῖχον τὴν Ἀρμενίαν Πέρσαι καὶ Μακεδόνες, μετὰ ταῦτα οἱ τὴν Συρίαν ἔχοντες καὶ τὴν Μηδίαν· τελευταῖος δ' ὑπῆρξεν Ὀρόντης ἀπόγονος Ὑδάρνου, τῶν ἑπτά Περσῶν ἑνός· εἶθ' ὑπὸ τῶν Ἀντιόχου τοῦ μεγάλου στρατηγῶν, τοῦ πρὸς Ῥωμαίους πολεμήσαντος, διῃρέθη δίχα, Ἀρταξίου τε καὶ Ζαριάδριος· καὶ ἦρχον οὗτοι, τοῦ βασιλέως ἐπιτρέψαντος· ἡττηθέντος δ' ἐκείνου, προσθέμενοι Ῥωμαίοις, καθ' αὑτοὺς ἐτάττοντο βασιλεῖς προσαγορευθέντες. Τοῦ μὲν οὖν Ἀρταξίου Τιγράνης ἦν ἀπόγονος· καὶ εἶχε τὴν ἰδίως-λεγομένην Ἀρμενίαν· αὕτη δ' ἦν προσεχὴς τῇ δὲ Μηδίᾳ, καὶ Ἀλβανοῖς, καὶ Ἴβηρσι μέχρι Κολχίδος καὶ τῆς ἐπὶ τῷ Εὐξείνῳ Καππαδοκίας. Τοῦ δὲ Ζαριάδριος ὁ Σωφηνὸς Ἀρτάνης ἔχων τὰ νότια μέρη, καὶ τούτων τὰ πρὸς δύσιν μᾶλλον· κατελύθη δ' οὗτος ὑπὸ τοῦ Τιγράνου, καὶ πάντων κατέστη κύριος ἐκεῖνος.

§. 2.

Addendus est *Diodori Siculi* locus in Excerptt. de virtutibus et vitiis p. 584. Tom. II. ed. Wesseling.

Ὅτι τὸν Μιθροβουζάνην ἐπὶ τὴν πατρῴαν ἀρχὴν καταγαγόντος Ἀριαράθους, Ἀρταξίας, ὁ τῆς Ἀρμενίας βασιλεὺς,

---

*) His verbis finem facit eorum, quae de antiquitate Armeniorum et de eorum origine ab Armeno, Jasonis comite dixerat.

οὐκ ἀφιστάμενος τῆς ἐξαρχῆς πλεονεξίας, πρέσβεις ἀπέστειλε πρὸς Ἀριαράθην, παρακαλῶν συμφρονῆσαι, καὶ τῶν νεανίσκων ἑκάτερον τὸν παρ' ἑαυτοῦ διαχειρισάμενον διελέσθαι τὴν Σωφηνήν· ὁ δὲ Ἀριαράθης πολὺ κεχωρισμένος τῆς τοιαύτης ῥᾳδιουργίας, τοῖς πρεσβευταῖς ἐπέπληξε, καὶ πρὸς Ἀρταξίαν ἔγραψε παρακαλῶν αὐτὸν ἀπέχεσθαι τῶν τοιούτων ἔργων. Ἀριαράθης μὲν οὖν ἀκολούθως οὕτω γενηθείσης τῆς πράξεως, οὐ μετρίως ἠύξησε τὴν περὶ αὐτοῦ δόξαν· ὁ δὲ Μιθροβουζάνης διὰ τὴν θαυμαζομένην τοῦ καταγαγόντος αὐτὸν πίστιν καὶ καλοκἀγαθίαν, ἐκράτησε τῆς πατρῴας ἀρχῆς.

Ad eandem rem respiciens *Polybius* narrat XXXII, 1. Vide supplem. e codd. rescriptis in: Scriptor. vett. nov. collectione Vatt. codd. edita ab Ang. Maio. p. 458. Tom. II.

Ὅτι Ἀρταξίας ἐβούλετο ἐπανελεῖν..... [Ἀρα..θ..], παραινέσεσι δὲ Ἀριαράθου τοῦτ' οὐκ ἔπραξεν, ἀλλ' ἐντιμότερον [εἶχεν] αὐτὸν ἢ πρότερον.

§. 3.

***Tschamtscheanus* in magno historiae Armeniacae opere Libro I, cap. 2. p. 205 sq. Vol. I.*) hoc fere modo Zadriadis et filiorum historiam narrat:**

Ante *Artaxiam* et *Zadriadem* *Antiochus Magnus* Armeniae praefecerat *Artavasden*, quem mortuum esse

*) **Tschamtscheani historiam *Michael. Chamich.* excerpsit, quod quidem opus Chamichii in linguam Anglicam translatum est: History of Armenia by father Michael Chamich. Translated from the original Armenian by Johannes Avdall. Calcutta 1827. Rem, de quo agimus, invenies p. 52 sqq. et p. 58 sqq. — Cf. etiam: Genealogical Catalogue of the kings of Armenia p. 29 sq. in: Miscellaneous translations from oriental languages.**

(219 a. Ch. n.) quum audivisset, duos ex amicis elegit, *Artaxiam* et *Zadriadem*, ita ut alter majori, alter minori (Zoph, Sophenae) praeesset Armeniae. Ambo, *Artaxias* (armenice: Artaschas) et *Zadriades* (Zahrad sive Dareh) a subjectis gentibus valde diligebantur. Urbes multis novis ornabant aedificiis aliasque multas res ad publicum usum pertinentes instituebant.

Artaxias ab *Antiocho* deficere et majoris Armeniae regnum ipse tenere volebat; quam rem ut perficeret, id temporis momentum aptissimum habuit, quum *Antiochus* magnum illud cum Romanis bellum gereret. Quare ad *Zadriadem* litteras dat, rogans, ut secum agat et minoris Armeniae regnum sibi ipsi arripiat. *Zadriades* et *Artaxias* deinde ab *Antiocho* quum defecissent, a Romanis, quibuscum societatem inierant, regnum accepere. *Antiochus Epiphanes*, postquam paternum regnum acceperat (171 a. Ch. n.), per legatos ab *Artaxia* officia poscit. Quae cum *Artaxias* recusasset, magnis copiis ei bellum intulit eumque vicit. *Artaxias* aufugit quumque mox vidisset, magnis *Antiochi* viribus se resistere non posse, quae poposcerat *Antiochus*, praestitit. *) *Artaxias* deinde, quia putaret, *Antiochum* a *Zadriade* ad id bellum contra se incitatum fuisse, in minorem Armeniam ingreditur. *Zadriades* autem, se ipsum adversus *Artaxiam* sine damno bellum gerere non

*) *Appianus* de reb. Syriacis in fine cap. 45 et incipiente 46. dicit: ἐστράτευσε δὲ (scil. Ἀντίοχος, ὁ Ἀντιόχου τοῦ Μεγάλου) καὶ ἐπὶ Ἀρταξίαν, τὸν Ἀρμενίων βασιλέα. Καὶ αὐτὸν ἑλὼν, ἐτελεύτησεν, eandemque rem simili modo cap. 66 ejusdem libri de reb. Syriacc. iterum attingit. — Si re vera captus erat Artaxias, mox eum (fortasse, quum repentina morte Antiochus perierat) libertatem assecutum esse, necesse est. Paullo enim post Zadriadi arma infert.

posse ratus, munera ei offert et filium natu minorem, cui *Doronis* nomen erat, obsidem dat.

Mox ipso *Zadriade* mortuo, *Artaxias* pristina cupiditate minoris quoque Armeniae capiendae incensus adversus *Zadriadis* filium natu majorem *Mithrobuzanem* (*Mihrphuschen* sive *Morpheulikess*), qui paternum regnum acceperat, bellum suscipit. Ille autem ad *Ariarathem* (Areth), Cappadociae regem, auxilium petiturus confugit.

Artaxias ad *Ariarathem* legatos mittit, per quos quaesivit: Nonne *Zadriadis* filius ad te pervenit? Equidem minorem teneo, *Doronem*, quem occisurus sum. Tu majorem occide. Nos tum paternum regnum inter nos dividemus.

Sed tantum aberat, ut *Ariarathes* consentiret, ut *Mithrobuzani*, qui vir magnae staturae et robusti corporis erat, agilis idem et ad bellum aptissimus, exercitum daret. *Artaxias* autem summa industria bellum parans exacta aetate repentina morte periit.

§. 4.

Restat ut gravem testem audiamus, qui de ultimis rebus a *Mithrobuzane* gestis ejusque de morte narrat, *Moysem Chorenensem* II, 5. p. 88. ed. Whistonii.

Hoc modo ex Armeniaco converterunt editores:

„Proelium cum Morphiloco, qui jaculo ictus cecidit.“

1) „Quum jam multos dies se uterque *) munitionibus continuissent, pugna tandem ab nostra parte cietur. *Morphilocus* igitur coactus aciem suam instruit, ac acerrime impetum facit; ut qui vir esset animosus, procerus, ac mem-

*) Valarsaces et Mithrobuzanes sive Morphilocus (G. Sandh).

bris inter se conèinnè aptis praeditus, viribusque corporis plurimum pollens.“

2) „Is aere et ferro munitus, atque aliis non paucis delectis armatis circumdatus, fortes viros, ex *Valarsacis* juventute electos, cum humi prostravisset, per magnum agmen armatum ad regem Armeniam adire contendit: atque ubi prope accessit, telum dextra conjicere parat; erat enim jaculandi peritissimus atque eminus aves celeriter volantes missilibus ferire poterat.“

3) „Tum vero nec mora, viri fortes celebresque de stirpe *Haici*, Assyriique *Senecharimi* intervenientes, virum eum strenuum telis confodère, exercitumque ejus in fugam vertère, et variis sanguinis rivis, tanquam pluviarum diluvio terram irrigavère; atque ita ab eo tempore, a *Valarsace* subacta regio otium et pacem habuit, Macedonumque strepitus desiit.“

§. 5.

Jam, allatis scriptorum veterum locis primariis, errores quidam erunt tollendi, diversorum scriptorum testimonia inter se comparanda, pauca, quibus opus est, exponenda.

Ac primum quidem de nominis Zadriadis variis lectionibus disseramus.

Apud *Strabonem* libri Mss. *Ζαριάδην*, *Θαριάδην*, *Ζαριαδριν* habent, vetus interpres vertit *Zadriada*, numus „*ZAΔPIAΔOY*“ exhibet. Quibus ex diversis formis quaenam vera sit, vix dixeris. *Tschamtscheanus*, scriptor Armeniacus, *Zahrad* sive *Dareh* regem nominat. Unde sane videre licet, quam diversa ratione barbarum illud nomen lingua sua Graeci expresserint auribusque suis accommodaverint,

modo ipsum Armeniacum nomen retinentes, modo, magis ad suae linguae rationem et decore ut sonet, litteram d interponentes. Potuerant quoque dicere *Strabo* et numus „*Darius*," alterum illud Armeniacum regis nomen sequentes.

Nomen *Ζαριάδης* apud *Athenaeum* quoque in Deipnosophistis XIII., 35. p. 77 Tom. V. ed. Schwgh. occurrit, ubi *Chares Mytilenaeus* de *Zariade* quodam, *Hystaspis*, Mediae regis fratre natu minore narrat.

Numi profecto lectio satis Graeca et sonora firmissima est.

Quod *Tigranem Strabo* ἀπόγονον Ἀρταξίου vocat, plane errat, ut recte jam monuerunt *Audifretus* et *Weissius**). Nescivit enim *Tigranem* jam ex Arsacidarum stirpe fuisse, quae inde ab *Valarsace* (Vagharschag) regnum Armeniae tenebat.

Addit tum, τοῦ Ζαδριάδου ἀπόγονον, τὸν Σωφηνὸν Ἀρτάνην ab hoc *Tigrane* victum et oppressum esse.

Qui quidem locus affectus est; sed vera si narrat scriptor, hujus viri a *Zadriade* oriundi nomen neque Σωφηνός neque Σωφήνης sonare potuit, ut Tzschuckius putat, sed Ἀρτάνης. Ex nomine apposito *Sopheni* suspicari licebit, quamquam nullo in alio scriptore de hoc viro aliquid traditum reperiamus, *Artanem* illum Sophenae (Zoph), quae proavo olim paruit, aliquas particulas adhuc retinuisse videri.

Bene *Diodorus Siculus* Armeniacum nomen filii

---

*) In: biographie universelle. Tom. XLVI. sub voce „Tigrane II." p. 46 annot. 2.

Zadriadis „Mihrphuschen,“ quod significat a Sole*) natum, Graecis sonis expressit, voce „*Mihr*“ in alteram formam, apud Graecos usitatiorem *Μίθρας* mutata et Armeniaco verbo „*phuschen,*“ quod filii, nati notionem habet, ut melius sonaret, in *βουζάνης* converso.

Polybii locus, quem *Diodori* testimonio adjeci, sine dubio ad eandem rem spectat; quod enim nomen Ang. Maius in Codd. reserr. legere non potuit, eo *Doronem*, alterum *Zadriadis* filium indicare voluisse videtur scriptor.

Quae porro habet *Diodorus οὐκ ἀφιστάμενος τοῦ ἐξαρχῆς πλεονεξίας*, ea partim in universum accipi atque ad illam incipientis regni augendi rationem *Artaxiae*, quum modo ab *Antiocho* defecerat, referri malim, partim ex *Tschamscheano* illustrari puto, qui pristinam *Artaxiae* cupiditatem regni addita minore Armenia amplificandi narrat, qua agitatus nullam fere, ut videtur**), causam habens, *Zadriadi* bellum illaturus erat.

---

*) Deum Solem, a quo splendidum hoc nomen derivatur, quemque omnes Orientis populi colebant, in primis quoque ab Armeniis cultum esse, ex *Dionis Cassii* loco (Epit. Xiphil.) LXIII, 5. p. 1029 ed. R. clare apparet.

**) Quomodo enim Zadriadem, qui ipse a patre Antiochi Epiphanis defecerat, hunc, ut contra Artaxiam bellum gereret, incitasse, sumere possumus?

CAPUT V.

Historia Zadriadis ejusque stirpis.

§. 1.

Ante *Alexandri Magni* tempora valde incerta est Armeniae historia. *Haicum*, qui populi Armeniaci quasi pater fuisse et valde remoto tempore (2100 a. Ch. n.) vixisse dicitur, longa regum ex ejus stirpe series secuta esse videtur, quorum priores liberi sua ipsorum potestate, posteri Assyriae et Persiae regibus parentes *) regnarunt. *Alexandro Magno* mortuo *Antigonus* inter multas Asiae provincias Armenia quoque potitus erat, quam *Seleucus* deinde simul cum aliis provinciis, imperio Syriaco tum adjunctis, acceperat. Seleucidae ex illo tempore per praefectum Armeniae regnum tenebant.

Antiochi Magni praefectus *Artavasdes* fuerat, quo (219 a. Ch. n.) mortuo duos *Antiochus* ex suis elegit amicos, *Artaxiam* et *Zadriadem*, quorum alterum majori, alterum minori praefecit Armeniae. Uterque propter benigni-

*) Cf. *Saint-Martin*: Mémoires sur l'Arménie. Tom. I. p. 286.

tatem a sibi subjectis maxime diligebatur; multis novis ornabat aedificiis urbes, multaque alia in usum publicum instituebat.

§. 2.

Quum vero mox intellexissent *Antiochi Magni* potestatem a Romanis maxime coerceri, ipsique sua quisque ex potestate regnum tenere cuperent, *Artaxias Zadriadem* per epistolam admonuit, ut secum faceret. Qui quum consensisset, ab *Antiocho* defecerunt et cum Romanis societatem inierunt, a quibus regium titulum uterque accepit. Multas vicinas terrarum partes occuparunt suisque adjunxerunt terris, ita ut *Zadriades* Sophenam, Acilisenam, Odomantidem, Carenitin, Xerxenam, Tamonitin teneret, *Artaxias* regionem, quae circa Artaxatam est, Caspianam, Phaunitin, Basoropedam, eam partem, quae ad Paryadri montes sita est, Chorzenam, Gogarenam haberet.

Neque ipse *Antiochus Magnus*, neque *Seleucus* filius, qui successit, hos praefectos in suam potestatem redigere potuit. *Antiochus Epiphanes*, *Antiochi* filius natu minor, quum paternum regnum accepisset (171 a. Ch. n.), *Artaxiam*, a quo antea per legatos officia frustra poposcerat, bello illato, vicit ipsumque cepit. Sed *Artaxias*, libertatem demuo assecutus, cupiditate regni minore Armenia augendi agitatus, adversus *Zadriadem* bellum parat. Quod quum audivisset *Zadriades*, ad *Artaxiam*, quem multo potiorem fore norat, munera simulque filium natu minorem obsidem misit.

§. 3.

Mortuo *Zadriade* *Artaxias* pristinum consilium et studium suscipiens minorem Armeniam ingressus est.

Mithrobuzanes, *Zadriadis* filius major natu paternum regnum acceperat. Qui aggrediente *Artaxia* ad *Ariarathem* (VI), Cappadociae regem profugit. *Artaxias* legatis ad *Ariarathem* missis, se ipsum ait, *Doronem*, minorem natu filium *Zadriadis*, quem in sua potestate teneret, occisurum et cum *Ariarathe*, si *Mithrobuzanem* interfecisset, Armeniam minorem (Sophenam) divisurum esse. Sed *Ariarathes* legatos graviter objurgavit et litteris datis *Artaxiam*, ut a tanto facinore abstineret, commonuit. Qui quum sola *Ariarathis* adhortatione *) non plane sedaretur, *Mithrobuzani*, viro magnae staturae et validi agilisque corporis, arte jaculandi et sagittas jaciendi peritissimo, *Ariarathes* exercitum dedit. *Artaxias* autem maxima cum diligentia bellum parans repentina morte perlit.

§ 4.

Mithrobuzanes dein ex *Ariarathis* probitate et fide paternum regnum quiete tenuit, donec *Valarsaces* (Vagharschag), ab *Arsace Magno* fratre, Parthiae rege, majori Armeniae rex impositus, magno cum exercitu minorem ingrederetur Armeniam. *Mithrobuzanes* ad bellum coactus aciem instruxit, vehementem cum viris delectis impetum in ipsum *Valarsacem* fecit multosque ex ejus electa juven-

*) Ut ex solo Polybii loco, p. 26 laudato, quis statuat.

tute prostravit, jam in ipsum regem telum conjecturus, quum hostes multi et fortes, ictum impedientes, ipsum telis confoderunt totumque ejus exercitum maxima cum clade in fugam verterunt.

Ex quo tempore *Valarsaces* utriusque Armeniae regnum tenuit.

Num vero partes quasdam Armeniae minoris (Sophenae) stirps *Zadriadis* in posterum retinuerit, atque *Artanes* ille, quem a *Tigrane*, cui omnia postea paruerint, exstinctum esse *Strabo* narrat, ultimus ex hac stirpe fuerit, in dubio relinquitur.

ERRATA.

Pag. III. lege: abhinc trecentis annis conditi.

„ V. lege: jam ante viginti fere annos inventus, abhinc duobus cett.